Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 409

Quelle:
Copyright:

eruitur, ſed de Bibliis *Senonenſibus* nihil mihi compertum eſt. Ad *Geneſ.* C. I. haec notantur: *In principio &c. Jer.* et luceant. *he. an. ſic. al.* ut luceant. *Jer.* et ſtellas. *poteſt eſſe uerſus per ſe. ſed pariſ. legit de uerſu precedente ſicut hebr. Jer.* et poſuit eas. *he. an.* deus. in firmamento. *al.* ea *ut non ſolum ad* ſtellas *ſed ad* luminaria *referatur. Jer.* benedixitque illis. *al.* et benedixit eis &c.

IV. *fol.* 213. Recenſus Errorum in *Codicibus Biblicis* occurrentium cum emendatione, cui ita praefatur Collector: *Multipliciter apud latinos erratur in ſacra ſcriptura. ex uicio translatoris. uel ſcriptoris. et inpericia lectoris. dum propter diccionum ſimilitudinem uel ponunt vnam pro alia, vel neſciunt que ſit verior.* Neque his contentus per decurſum ſequentes *Regulas*, ſeu Obſervationes addit: *In hebraicis quoque atque grecis diccionibus conſimiliter errant ponentes vnam pro alia, vel ignorantes que ſit verior. Item erratur per apices M et N videlicet M pro N. item N pro M ponendo. Item erratur etiam per incertitudinem accentus. Erratur etiam quando neſcitur. utrum ſit diccio una uel plures. Erratur quoque per coruptionem numerorum.* Jam finguli hi Canones ordine Librorum S. Scripturae ſtabiliuntur triſtibus exemplis, quantis depravationibus obnoxius fuerit Textus biblicus ante divinum Typographiae beneficium, egregiumque ferunt criticae Collectoris noſtri diligentiae teſtimonium.

V. *fol.* 219. Fragmentum variarum Lectionum e Prophetis *Zacharia* a C. XI. v. 7. et *Malachia* toto, item e *Jobi* C. IX. v. 9. ad C. XIV. v. 15.

VI. *fol.* 220. Adparatus Lectionum variarum in *Pſalterium.* Praeit *Hieronymi* Praefatio: *Pſalterium Romae dudum poſitus* &c. usque ad verba: *Unde conſueta praefatione* &c. Recenſus init: *Beatus uir qui non abijt. et infra.* quecumque faciet proſperabuntur. *non eſt ibi ſemper.* II. *Quare fremuerunt. et infra.* in uirga ferrea tamquam uas figuli. *anti. cum hebr. et greco non interponunt* et. *Item G.* (gloſſa?) *et infra.* et exultate ei cum tremore. *an. cum hebr. habent* in *et grecus.* &c. Ad Pſ. XXI. v. 18. ita commentatur Noſter: *Foderunt manus meas. hebr. et antiqui habent* caru (כרו.כארו) *quod hebr. modernus habet* cari (כארי *Kennicotto* etiam adferente כאריה) *propter quod Jeronimus transfert* quaſi leoni (ubi? In omnibus ejus *Pſalteriis* apud *Martianaeum* et *Vallarſium* non niſi *Foderunt* legis) *cuius ratio eſt, quoniam ſicut dicit Jeronimus Joth et Vau* (יו) *ſola differunt magnitudine et breuitate. ab antiquo igitur Vau in Joth vel malitia* (Judaeorum) *uel caſu breuiata eſt. et ſic vbi antiquitas legit* foderunt. *noui dicunt* quaſi leoni. *ſed ſic etiam deficiet uerbum propter quod ſupplent* Cinxerunt. (in *Hier. Pſalt. hebr.* Fixerunt, Vinxerunt). *Sed forte dicent quod aliud eſt. quoniam in* cari *eſt alepb littera. quod non in* caru. *Reſponſio. milleſies eidem*